

# LUCRETIANA

Scribae codicum Lucretii poematis in fine duorum versuum se excipientium idem vocabulum aliquotiens iniuria repetendo posuerunt, cuius erroris nunc nonnulla exempla dabo (1,67. 1,720. 2,1168. 3,358. 5,677). Accedunt praeterea aliae emendationes et demum duo studia, alterum «de quomodo Horae a Lucretio describantur», alterum «de Lucretio Puteolano». Sed iam ad varia critica veniamus.

## I.—LUCRETII VARIA CRITICA

*1, 66 primum Graius homo mortalis tollere contra  
67 est oculos ausus primusque obsistere coram...*

In extremo versiculo 67 falsum illud alterum «contra» emendavi pro quo «coram» posui; nam in verbo «obsistere» iam syllaba «ob» actio resistendi contra aliquid vel aliquem indicatur eo modo ut «obsistere contra» bis idem exprimat «sistere contra contra», quae locutio puerilis certo displicet; laudabilis vox autem «coram» habenda videtur; quod differt ab adverbio «contra» hac ratione: Epicurus (=Graius, Graecus homo) oculos suos mortales contra deos in caelo habitantes proterve tollere et *coram* hominibus aequalibus Graecis contra famam deorum (1,68) et contra religionem disputans obiurgator obsistere ausus est; discrimen tamen inter «contra» et «coram» ita optime explicatur: «contra» pertinet ad caelites (=deos); «coram» spectat ad terrenos homines; Lucretius vero in Epicuro duas partes distinxit: privatam opinionem Epicuri deis adversariam et publicam eius aggressionem religioni communi infestam; propterea «tollere contra» et «obsistere contra»